

septimanis obtinisset, ei se pauperes opposuerunt et eum fugere coegerunt. Ab ipsis igitur queritur et in domo fratrum ordinis minorum in quibusdam angulis vel latibulis invenitur, capitur et cum familia sua ad regis exercitum ducitur et vinculis colligatur. Rege progrediente ad obsidionem, que prope Gerner²²⁵⁾ requievit²²⁶⁾, dominus iste de Rapoltstain cum aliis captivis cum rege ducitur et ibi contra eos sententia iudicis expectatur. At tamen alii domini iudicium per preces distulerunt regemque supliciter rogaverunt, ut dominium dominorum in Rapoltstain in tres divideret porciones et ex eis domino Haynrico²²⁷⁾, qui erat frater domini Anshelmi, aliam vero filio²²⁸⁾ fratris sui²²⁹⁾, terciam ipse in suam traheret potestatem. Et ut hoc facere dignaretur, resignaverunt omnes heredes ius hereditatis, quas habebant in Gerner, et tradiderunt in regiam potestatem. Postea infra octavam Sancti Martini dominus Anshelmus in equo catenatus cum servis suis plus quam triginta in duobus quadrigis versus Brisacum et postea castrum Achalm²³⁰⁾ Suevie ducuntur et ibi cum custodibus providuntur. Cum autem jam nominatus dominus de Rapoltstain in via prope Columbariam pervenisset, cum fletu et eiulatu cordis dolorem et amaritudinem ostendebat.

11. Nov.

260,24—37
fol. 192r

Fuit hic dominus Anshelmus filius filie²³¹⁾ comitis de Froburg²³²⁾, pater²³³⁾ vero eius cognatus comitis de Blanckenburg²³⁴⁾. Iste pater | suus fuit persona pulchra, larga, mitis et benigna omnique laude digna, de hoc seculo adhuc juvenis substrata. Mater vero eius erat mulier longa corpore et pulchra facie, crine candida, voce dulci amabilis et decora. Hec ad Sanctam Claram ordinis fratrum minorum in Schaffhausen se transulit²³⁵⁾ et vitam suam cum bonis ac sanctis virginibus consumavit²³⁶⁾.

²²⁵⁾ Gerner bei Rappoltsweiler, urkdl. Gemere 1268.

²²⁶⁾ November 1293.

²²⁷⁾ Heinrich von Rappoltstein, urkdl. bis 1312, gest. wahrscheinlich 1313.

²²⁸⁾ Heinrich von Rappoltstein, urkdl. 1288—1351.

²²⁹⁾ Ulrich von Rappoltstein, gest. 1283.

²³⁰⁾ Achalm bei Reutlingen.

²³¹⁾ N. N., Gräfin von Froburg, gest. 1281 als Nonne im Kloster Paradies bei Schaffhausen.

²³²⁾ Unsicher wer gemeint ist. In Frage kommen Ludwig III. von Froburg, Graf 1201, gest. vor 1259 und Hermann III. von Froburg, Graf 1201, gest. vor 1237, verh. mit Heilwig von Habsburg 1223—1263.

²³³⁾ Heinrich von Rappoltstein, urkdl. 1260—1275, gest. wahrscheinlich 1279.

²³⁴⁾ Vgl. o. S. 457.

²³⁵⁾ 1279 in das Kloster Paradies bei Schaffhausen. Vgl. MGH SS 17, 206, 12 f.

²³⁶⁾ 1281.